

D. O. M.
S A U L
T R A G Œ D I A
DABITUR IN REGIO
LUDOVICI MAGNI
COLLEGIO SOCIETATIS JESU
A SECUNDANIS

Die Sabbathi 28. Februarii horâ post meridiem primâ.

H. J. r. 55.

(3.)



PARISIIS,
Apud Viduam CLAUDII THIBOUST,
ET
PETRUM ESCLASSAN, Juratum Bibliop. Universit.
ordin. viâ D. Joan. Later. è regione Collegij Regij.

M. DC. LXXXVIII.

ARGUMENTUM.

FUGERVNT viri Israël ante faciem Philistiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboë: irrueruntque Philistiim in Saül & in filios ejus, & percusserunt Iona- than & Abinadab filios Saül dixit- que Saül ad armigerum suum: evagina gladium tuum & percute me ... & noluit armiger ejus ... arripuit itaque Saül gla- dium & irruit super eum.

Lib. 1. Reg. cap. xxxi.

Scena in montibus Gelboë.

Toti Tragædiæ præludet

CHORUS MUSICUS

In quo exhibebitur SAÛL Pythonissam consulens.

ACTUS PRIMUS.

CUM se premi graviter à Philistinis & undique obsessum teneri videret Saül, accepto præsertim à Pythonissâ responso sibi & Jonathæ in eo bello mortem imminere, de componendâ cum illis pace cogitat: ipsum ab eo consilio deterret quantum potest Abinadab; ostendit quàm turpe sit falsis id genus vaticiniis fidem habere: Jonathas verò nihil in pace periculi, nihil probri esse contendit, eamque ope Davidis ab Achide Philistinorum rege ad quem David confugerat, obtineri posse: audito Davidis nomine Saül excandescit veteris iræ memor. Sub hæc Seila Davidis uxor, quæ ex castrorum tumultu mox committendum esse prælium cognoverat, accedit ad Saülem; patrem obtestatur ut omittere pugnam, inire foedus ac pacem velit. Angebat illam certum aut patris aut conjugis, quocumque belli alea caderet, periculum. Seilæ & Jonathæ precibus exoratus Saül patitur accersiri Davidem, qui pacis componendæ sequester sit. Digresso in castra Saüle, fratrem Abinadabum incusat Jonathas quòd à pace tantoperè necessariâ patrem abducere voluerit, simulque consilia fratris de occupando regno subodoratus, regreditur ad Saülem ut pacem faciendam illi omninò persuadeat. Subeunti paulo pòst Doëgo apertè profitetur Abinadab quid moliatur, sibi in animo esse adniti omnibus viribus ut committatur prælium, in quo patrem fratremque interituros vaticinata est Pythonissa. Abinadabi consiliis primùm obsistit Doëgus; tamen victus ejus precibus suam illi operam pollicetur.



ACTUS SECUNDUS.

Davidem à Saùle accersitum expectabat Jonathas, sollicitus quid amico moram faceret, cum Saül Achidem ipsum cum Davide mox adfuturum, ad sancientiam pacem significat: Jonatham jubet obviam utrique procedere. Datæ fidei Saùlem ferè jam poeniret, ubi Davidem adfore cogitat: hunc in eâ cogitatione defixum & ore pariter animoque turbatum offendit Seila, quæ Davidem quærebat; hæret aspectu patris percussa, & distracta vario metu, non potest à querelis abstinere. Colloquentibus supervenit rex Philistinorum qui pacem hac unâ tantum lege pollicetur ut Davidi Saül ignoscat: agrè conditionem ille accipit, vixque se à filiâ & proceribus exorari finit; & verò prodeuntem Davidem ubi videt, æstuare homo impotens, in eum efferri, sic denique furere ut contemptis Philistini monitis, & Jonathæ ac Seilæ precibus, vix audito ipso Davide qui se in ejus fide & potestate futurum sanctè affirmabat, castra repetat pugnaturus. Achis rem indignè ferre, parare arma, regredi velle; vix demùm id Jonathæ Davidique concedit, ut cum Saùle iterum de pace colloquatur. Davidem remotis arbitris Jonathas amicissimè amplectitur, mox docet Pythonissæ responsum, & Abinadabi fratris consilia. Ecce autem subit ipse Abinadab & insultantis in morem ad committendum prælium à Saùle Jonatham unum desiderari clamat: tùm verò in fratrem apertiùs invehitur Jonathas, & patrem è vestigio revisit, ipsum si possit, placaturus. Ubi sua fratri subolere consilia sentit Abinadab, urgere cœpta constituit, parentem adit cui fratrem suspectum faciat,



ACTUS TERTIUS.

A Binadabum seu Jonathæ minis territum, seu fraterni amoris sensu permotum, suscepti de perdendo fratre consilii poenitet; ambitiosus tamen adolescens in pristinam sententiam perniciosi Doëgi consiliis facile revocatur: ambo Saülis adhuc fluctuantis animum eò denique adducunt, ut configere cum hoste statuat. Achis, ut datam fidem præstaret, iterum, quâ potest, Saûlem aggreditur ac pacem non detrectat, sed frustra. Itaque iratus discedit, & Saûli interminatur se nullas deinceps pacis conditiones accepturum. Ad pugnam se comparabat Saül, cum Jonatham abesse videt: eum cum Davide in Philistinorum castra se recepisse falsò criminatur Abinadab. Seila, quæ ab Achide ipso cognoverat instare pugnam, patremque magis ac magis in Davidem furere, properat ad Saûlem; sed ne audita quidem repellitur, imò etiam à Doëgo custodiri, ne quid astu foemineo disturberet, jubetur. Dum castra repetit Saül pugnaturus, Jonatham & Davidem Seila conspicit, docet eos quorsum evaserit novissimum Saûlem inter & Achidem colloquium: frustra Jonatham obtestatur David ut amore posthabito ad patrem & pugnam redeat; non potest adduci Jonathas ut in amicum arma capiat. Utrumque amicissimè colloquentem Doëgus divellit, ac nunciat propius adesse Achidem cum instructo agmine ut Davidem repetat, in quem timebat ne quid Saül durius statuisset. Achidem & Philistinos convenit David, quibus pacem persuadeat.



ACTUS QUARTUS.

CUM Philistinos ad pacem cum Saule componendam adducere non potuisset David, Jonathæ tandem extremum valedicit: quo utriusque sensu à se invicem abstrahuntur! quid verò cum alterum alterius cadere manu posse, ut incerta est armorum alea, cogitant? Achis iterum de Davide sollicitus ipsum offendit cum Jonathæ: urget ut in castra redeat; ipsum quoque Jonatham adhortatur, ut fugâ patris furori se subtrahat, eumque apud se fratris loco futurum pollicetur. Hoc verò flagitium neque in amico David neque in se ipso Jonathas potest suscipere. Seila quæ Saulis impotentiam reformatabat, utrumque obtestatur ut properè discedant: sed non ita facile amicus ab amico divellitur. Tamen istas moras pertæsus Achis secum Davidem in castra ægrè abducit: sequitur Jonathas. Vix abierant, cum Saul qui unius Jonathæ causâ prælium distulerat, cum propter longiorem moram nihil jam dubitet quin cum Davide in Philistinorum castra discesserit, rejectis Seilæ precibus ad prælium se comparat. Dum hæc geruntur subit Jonathas: miratur Saul non redire tantum, sed patri obsequentem & paratum ad pugnam redire: fretus Jonathæ pietate ac fortitudine animos resumit Saul, filiosque ad ulciscendam patris injuriam, quantâ potest contentione, adhortatur. Jonathæ tamen qui suspectus ipsi erat, hoc unum præcipit, ne ab latere suo discedat. Pugnaturos retinere frustra nititur Seila.



ACTUS QUINTUS.

Sollicitam quis fuisset exitus pugnae Seilam docet Achis, vicisse Philistæos, Davidem saluum brevi affore. Illa quamvis de viri salute læta, patri & fratribus miserè timet. Discesserat Achis ut castra militesque post victoriam componeret, cum subit David, sequene quid peccaret in Saulem suum regem ac dominum, abstinuisse à prælio testatur. Seila nihilominus dolore amens, postquam in eum multa dixit impotentiùs, proripit se rem totam certjùs cognitura. Doëgus à quo Saul veritus ne in hostium manus incideret, seipsum interfici jusserat, anhelus & sui vix compos, Davidi renuntiat Saulem violentas afferre sibi manus velle. Evolat David ut furem in-hibeat: sed eum medias inter militum manus, adacto sibi in viscera gladio, faucium ac semianimem conspicit. Ad aspectum Davidis recrudescit Saulis vulnus ac furor: præcipuè Jonatham à Davide repetit. Adducitur illi filiorum alter in certamine vulneratus; Abinadabum esse putat, sed Jonatham intuitus, quem abfuisse à prælio putabat, expavescit. Is patrem inter & amicum medius, acerbam sibi mortem esse negat, quod fidelis utrique moriatur. Saul animam agere se sentiens, exhaustis cum sanguine viribus, hoc rogat unum ut auferatur, ne Davidis oculos morte suâ pascat. Jonathas inter suavissimos amici complexus extinguitur. Achis Davidem, quantàm potest, consolatus abducit, & Jonathæ cadaver efferri, ac illi justa persolvi jubet.



ACTORVM NOMINA.

SAUL,
Rex Israëlitarum.

JOANNES BAPTISTA MOLE'
DE CHAMPLATREUX, *Pa-
risinus.*

JONATHAS,
Saülis filius natu major.

FRANCISCUS COLBERT
DE MAULEVRIER, *Pa-
risinus.*

SEILA,
Saülis filia, Davidis uxor.

ARMANDUS LE NOIR,
Parisinus.

ACHIS,
Rex Philistinorum.

JOANNES DOMINICUS DE
MONTMORENCY, *Bru-
xellensis.*

ABINADAB,
Saülis filius natu minor.

PETRUS DE TOURMONT,
Parisinus.

DAVID,
Saülis gener, & hostis qui
ad Achidem confugerat.

CAROLUS DE MORANGIES.
Monspeliensis.

DOEGUS, Saülis Armiger.

CLAUDIUS DE CONDE', *Parisinus.*

